



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Congratulatio ad piè defunctos. 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

& in hominibus sanctis non tantum corporalem aspectum, quantum diuinam in eis gratiam intuens, spiritualiter eos ubique diligit & veneratur. Nonne & prædictorum duorum Patrum sententia meminit, quòd ideo Iesus Christus suam nobis corporalem subtraxit præsentiam; ut fide coleretur potius quàm oculo, & spiritu ac mente arctius diligeretur quàm aspectu? sicut idem ipse Dominus noster ait: *Nisi abiero, paraclitus non veniet. Expediet enim vobis, ut ego vadam.*

Ioan. 6.

11. *Congratulatio ad piè defunctos.*

Cum ergo tolluntur à nobis spirituales amici, si sequuntur Christum ad cælos ascendentem, congaudendum erit utique eis, quia vadunt ad Patrem, quia illam cælestem mansionem accipiunt, ad quam nostra peregrinatio in hac valle lachrymarum toties suspirat. Si verò aliqui adhuc differuntur à regno, pro paruulorum eos nimirum consolatione viuere credendum est, quibus lac spiritualis consolationis opus est.

12. *Consolatio spiritualis hominis.*

Qui autem ad tantam gratiam peruenire potest, ut sine humano solatio etià & solus viuere dulce habeat, gaudeat quia quanto exterius minus querit, tanto vberius intus per spiritum consolari merebitur. Huiusmodi hominis est, iugi meditatione diuinæ legis cuncta terrena obliuisci, & ardenti mentis desiderio beatorum gaudijs interesse, ac omnem consolationis suauitatem in illa beatitudine constitueret atque ex hinc frequenter haurire fluentia deuotarum lachrymarum, quæ ipsi etiam præ amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus Dauid ex desiderio videndi Deum loquitur: *Fuerunt mihi lachryma mea panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Quam bonum est homini sic esse! sed non sine labore & custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim, quæ hominem à suo proposito retrahunt.*

Psal. 41.

13. *Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur.*

Sed tamen magnum pro nunc videtur, si quis communis vite sequens formam nullos superfluos exitus & circuitus faciat licet propter grauitatem vite, quandoq; necessarios egressus deuotare aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent consolationibus, non sunt despiciendi, nec frangendi: fortè expedit aliquibus, ut parumper de aere rapiant. Quia si omnem perdidissent
humanam